



Per.
Lat
020

Lateinische Jugendzeitschrift. Latin ifjúsági folyóirat. Revue latine de la jeunesse.
Laptulajdonos: Katolikus Középiskolai Tanáregyesület. — Sumptibus Societatis Magistrorum Catholicorum Mediarum Scholarum Hungariae. — (Praeses: Dr. Andreas Zibolen elnök.)

Administrator (felelős kiadó — Geschäftsstelle — administration), ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, VII., Barcsay-u. 5. (tel.: 223—308).

Moderator (felelős szerkesztő — Schriftleitung — rédaction), ad quem manuscripta mittantur: JOSEPHUS WAGNER DR., Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. (telefon: 268—634).

Megjelenik minden hó 20-án. — Prodit singulis mensibus die 20. Pretium subnotationis an. 1940—41: 3 pengoe, extra Hungariam 4 pengoe. Nummaria chartula (vulgo: chèque) postalis in Hungaria: 57.292. Subnotatores earum gentium, unde pecuniarum transmissio impeditur, utantur schidulis «Coupon réponse international» appellatis, quarum si quis decem in epistola ad administratorem mittit, pretium annum solvit. Quinis exemplaribus sextum gratuito additur.

Minister cultus et institutionis publicae regni Hungariae

Iuventuti quintum lustrum claudenti salutem dicit.

Ephemeris linguae Latinae Societatis Magistrorum Catholicorum Mediarum Scholarum Hungariae, cum 25 per annos ex quattuor partibus orbis terrarum gregem suum animatum congregavisset erudissetque, ad terminum quinque lustrorum feliciter peractorum pervenit. Quae quidem res non solum ideo est magni habenda, quod tempestatem duorum bellorum mundanorum magnifice fortiterque perpessa est, sed etiam multo magis, quod linguam classicam valoresque antiquitatis spirituales ac morales iuventutem totius orbis terrarum quinque per lustra docebat simulque *pro motu neolatino* assidue impigreque pugnabat.

Nobis equidem Hun-



garis insuper munus illud, quod Iuventus obiit obituraque est, ministerium quoddam nationale est considerandum, nam lingua et voce Latina colenda etiam cultus atque humanitas nationis nostrae millenariae aestimantur et amantur. Qua quidem lingua utebantur et cogitabant Hungari in vita forensi, in litteris scientisque inde a patrio solo comparato usque ad saeculum XIX. Sermone latino adhibendo nobismet ipsam ianuam et amorem rerum praeteritarum conservamus, gentibus autem exteris testimonio eius rei sumus, quod mille abhinc annos propugnaculum extremum cultus atque humanitatis occidentalis perpetuo assidueque tuemur.

Bálint Hóman minister cultus et inst. publ.


Pro quibus meritis singularibus moderatoribus lectoribusque ardentibus Iuventutis annum aetatis suae vicesimum quintum explentis toto animo atque approbatione salutem plurimam dico.

Bálint Hóman.

LECTORIBUS MEDIIS

Quomodo Iuventus nostra orta sit.

Rogante moderatore, ut quaedam de «Iuventute» orta narrarem, haec potissimum momenta mihi memoriā digna videbantur.



Aladarus Friml rector stud. superior.

Id enim certum esse constat Iuventutem non fortuito natam esse. Illis temporibus quidem multae querelae audiebantur, quod discipuli insufficientes progressus facerent in lingua Latina. Cuius rei remedia quaerentes magistri varios modos atque instrumenta proponebant, cum Antonius Prónai prof. Scholarum Piarum Budapestiniensium, moderator periodici «Magyar Középiskola», primus cepit consilium condendae ephemeridis Latinae in usum studiosae iuventutis compositae. Sperabat enim

discipulos iam rei novitate et curiositate captum iri, quo efficeretur, ut tirones maiore nisu linguam Latinam aggrederentur.

Prónai consilium suum in consessu professorum catholicorum die 26^o m. Sept. a. 1909 habito protulit suasitque, ut huiusmodi ephemeris a Societate prof. cath. ederetur. Eodem tempore etiam rationem¹ ephemeridis copiose exaravit¹ in periodico Magyar Középiskola (a. 1909, pag. 527). Propositio omnibus placuit decisumque est, ut sumptus primi numeri ab societate offerretur. At Prónai non contentus erat hac decisione, nam periodicum studiosae iuventutis firmioribus fundamentis concredere voluit. Itaque ipse cum 4 sociis adierunt officinam consortii Stephanei, ubi de Iuventute edenda actum est. Benevolentiam officinae typographicae factum est, ut Iuventus in lucem prodire potuerit. Conditores Iuventutis erant Antonius Prónai, Bela Danczer (administrator), Iulius Fodor, Aladarus Friml, Stephanus Székely (moderator).

Magistri discipulique ad praenumerationem² invitati certatim auxerunt vires novi incepti, imo etiam ab externis terris multi nomina³ dederunt.³ Partibus ita divisus auctor ideae novae, Ant. Prónai, in consessu magistrorum catholicorum die 31^o m. Ian. a. 1910 habito gratias egit pro subsidio promisso, quod autem petere et accipere supervacaneum videretur, quia Iuventus iam suis viribus staret (Confer. Magyar Középisk. a. 1910, pag. 117).

Cum initia Iuventutis memoriae⁴ proderem,⁴ facere non possum, quin unius viri et fautoris Iuventutis singularem mentionem faciam. Hic

erat Alexander e baronibus Barkóczy, praefectus scholarum mediarum in ministerio cultus atque publicae institutionis, qui gravitate rei commotus 250 coronarum subsidium ad manus moderatoris «Magyar Középiskola» e fundo studiorum catholico- rum quotannis exsolvi iussit.

Ab iis temporibus Iuventus quoque variis casibus fortunisque obnoxia⁵ fuit, imo ad tempus obmutescere coacta est. Sed historiam annorum, qui sequuntur, moderator explanabit. Mihi autem in animo est recordari conditorum Iuventutis, qui iam praeter me omnes in aeternitatem abiere. Dignum est igitur me piis Manibus eorum monumentum exigere, dum ego quoque, solus superstes, secuturus sum eos.

Aladarus Friml.

¹tervezetet vázól = den Entwurf skizzieren = es-
quisser des projets ²előfizetés = Abonnieren = abon-
nement ³jelentkezék = sich melden = se présenter
⁴megörökölt = verewigen = perpétuer la mémoire ⁵volt
kitéve = preisgegeben = être exposé

De 25 annis JUVENTUTIS.

(1910—1919, 1926—1941.)

In facie¹ fasciculi¹ primi ephemeridis nostrae Calendis Ian. a. 1910 prodeuntis moderator sic lectores allocutus est:

«Lectoribus salutem!

En habetis ephemeridem Latinam, quam vobis promissimus. Grato animo accipiatis IUVENTUTEM, quae vos omnes, et maiores et minores pari amore amplectitur; ideoque consilium est nobis ita scribere, ut ab iis quoque intelligamur, qui linguam Latinam paucos ante annos discere coeperant. Qui IUVENTUTEM legent, tempore² non solum opera scriptorum Romanorum facilius in sermonem Hungaricum convertent, sed etiam ea, quae ipsi cogitant, melius latine exprimere poterunt.

Quod ut efficiatur,³ communicabimus vobis descriptionem morum, quibus populus Romanus in vita quotidiana utebatur; item commentarios veteres, qui de originibus Hungarorum agunt. Curabimus, ut etiam hilaritati in IUVENTUTE locus detur, quia instructionem aequae⁴ ac⁴ oblectationem vobis praebere cogitamus. Quamobrem rogamus vos, iuvenes carissimi, ut nobis de vita scholae nuntios, aenigmata et alia huiusmodi⁵ latine conscripta mittatis. Iam videbitis, quid viribus unitis assecuturi simus.»

Spes moderatorem non fefellit. Annis enim 1910—1914 IUVENTUS tot milia lectorum ubique⁶ gentium⁶ habebat, ut tres editiones separatae adnotationibus Hungaricis et Germanicis et Francogallicis instructae publicari possent. In facie ephemeridis legebatur: «Prodit Budapestini Calendis et Iidibus cuiusque mensis, excepto Iulio et Augusto. Pretium annuae subscriptionis: ⁷ 4 coronae, semestris 2 coronae.» Fasciculi ephemeridis octonas paginas continebant. Mirabiliter tum inter se discipuli certare latinitate inceperunt. Iam in fasciculo anni I-i in epistoliis⁸ officialibus⁸ moderator haec scribit: «Multa nobis opuscula advene-

¹címlap = Titelblatt = page de titre ²idővel = mit der Zeit = le temps aidant ³elér = erreichen = parvenir ⁴egyaránt = gleichmäßig = également ⁵talia
⁶mindenütt = überall = partout ⁷előfizetés = Bezie-
hung = abonnement ⁸szekesztői üzenetek = Brief-
kasten des Schriftleiters = boîte aux lettres

runt, ita ut vix tempus statuere possemus, quando illa ederentur. Igitur patientiam sociorum petimus. IUVENTUS vinculis amicitiae multas nationes coniunxit. Dolendum est, quod interdum odium amorem superavit. E. c. a. 1910, cum IUVENTUS Guilelmum imperatorem Germaniae hospitio Francisci Iosephi regis nostri in palatio regio usum esse narravisset, fasciculi IUVENTUTIS imagine Guilelmi ornati Parisiis a Francogallis remissi sunt. Contra Germani a. 1913 fasciculos ephemeridis imagine novi praesidis Francogalliae, Poincaré, ornatos non repudiaverunt.

Paulo ante bellum mundanum coortum amissimus Antonium Prónay, conditorem IUVENTUTIS, virum optime de latinitate promovenda meritum, cuius mortem immaturam iure dolebamus. Bello mundano primum nationes bellum cum Germanis gerentes defecerunt. Anno scholastico 1915—1916 Stephanus Székely quoque abdicavit se munere moderatoris: «Laboribus nunc atque aetate confectus carissimam occupatione relicta discedere cogor». Successor eius, Iosephus Irsy — poeta aequae eminens ac interpretator⁹ permultorum carminum Latinorum — Idibus Maiis a. 1916 in Epistoliis off. haec scribit: «IUVENTUS hoc anno, quia propter belli miserias perpauca habemus Germanos lectores, nonnisi¹⁰ notis Hungaricis interpretata prodit.» Annis 1917—18 et 1918—19 Iosephus Huszti dr., tunc professor Collegii de barone Rolando Eötvös nominati, nunc professor Universitatis Scientiarum Pázmányanae atque sodalis¹¹ Academiae Scientiarum Hungaricae, fungebatur munere moderatoris. Numerus lectorum iterum laetabiliter augeri coeptus est, cum communistae rerum potiti omnia acta diurna civilia atque ephemerides, ergo etiam IUVENTUTEM edi vetuerunt. In ultimo fasciculo Idibus Febr. a. 1919 prodeuntis Universitas Budapestinensis appellationem sollemnem ad omnes universitates Europae et Americae detulit, ne Hungariam mutilari sinerent («Exaudite omnes, qui ad veritatem scrutandam¹² evocati estis, exaudite nostram appellationem, quam a lecto Matris¹³ nostrae mortiferis ictibus vulneratae convertimus ad Vos,» etc.).

Vox desperationis non audita est. Communistis expulsis, cum patria nostra pace imperatā infelici Trianonicā mutilata insuper inflatione pecuniae vexaretur, Iuventus reviviscere diu non potuit. Septem post annos, autumnus anni 1926, cum deflatione factā pretium monetae (pengoe) stabiliretur,

tum demum rector gymnasii O. S. B. Budapestinensis, Elias Kemenes dr. — qui nunc rector superior regius studiorum districtus Budapestino circumiacentis¹⁴ est — ausus est sequi proverbium «Fortes fortuna adiuvat», Cui debetur laus et gloria IUVENTUTIS ad novam vitam resurgentis. Novus moderator a. 1928 ephemeridem in dies magis magisque vigentem tradidit successori, Iosepho Irsy, rectori gymnasii h. c. emerito, qui sic iterum moderator factus est. Eodem tempore ceteris conditoribus mortuis (St. Székely a. 1925 mortem obiit, Iulius Fodor iam prius) Aladarus Friml et Bela Danczer proprietatem¹⁵ ephemeridis Societati Magistrorum Catholicorum mandaverunt, abhinc igitur possessor sic indicatur: «Sumptibus Societatis Mag. Cath. etc.» Quinquennium proximum moderatore Eugenio Fray doctore — qui tum etiam secretarius erat Societatis Amicorum Litterarum¹⁶ Humanarum¹⁶ Hungaricae (Parthenon) — primum feliciter, postea tamen minus fortunate praeteriit. In Epistoliis off. mensis Ian. a. 1932 legitur querimonia: «Socios habemus etiam apud externas nationes, ita in Gallia, Italia, Austria, Germania, Polonia, tamen propter difficultates nummarias¹⁷ numerus sociorum superioribus mensibus etiam in Hungaria valde comminutus est». A. 1933—34. IUVENTUS 850 lectores habens aes¹⁸ alienum¹⁸ contraxit,¹⁸ quod Societati nostrae persolvendum erat.

Tum IUVENTUS paene sublata¹⁹ est, nisi unus vir fuisset, Ioannes Kisparti, tum praeses Societatis Magistrorum Catholicorum Hungariae, cuius mortem immaturam nuper nuntiatam (vide num. 5 huius anni) lugere nunquam desinemus. Ioannes Kisparti adiit ministrum cultus et institutionis publicae, Bálint Hóman, per quem omnium primum effecit, ut subsidium²⁰ publicum²⁰ paulo ante suppressum iterum expenderetur.²¹ Deinde

⁹ műfordító = Übersetzer = traducteur ¹⁰ csupán = nur = seulement ¹¹ tag = Mitglied = membre ¹² kutat = forschen = scruter ¹³ patriae ¹⁴ környéki = Umgebung = environs ¹⁵ tulajdonjog = Eigentumsrecht = droit de propriété ¹⁶ klasszikus műveltség = klassische Bildung = érudition classique ¹⁷ pénzügyi = finanziell = monétaire ¹⁸ deficitbe jutott = Schulden machen = s'endetter ¹⁹ megszűnik = eingehen = cesser de paraître ²⁰ államsegély = staatliche Unterstützung = subside de l'État ²¹ kiutal = auszahlen = assigner



Antonius Prónay auctor Iuventutis.



Steph. Székely primus moderator.



Elias Kemenes resuscitator Iuventutis.



Josephus Irsy moderator a. 1915/17 et 1928/29. Josephus Huszti moderator a. 1917/19.

Aemilius Láng sociorum v. Eugenius Fray moderator
tustissimus, quondam pro- a. 1929/34.
fessor Josephi Huszti.

munus moderatoris Iosepho Wagner mandavit, qui Alexandrum Regényi quaestorem Societatis Mag. Cath. oravit, ut administrationem IUVENTUTIS susciperet. Sic viribus unitis hi duo viri mox assecuti sunt, ut ephemeris iterum floreret. Anno 1934—1935 IUVENTUS 1600, a. 1935—1936 2100, deinde autem plus 3000 lectores habuit. Ante novum bellum gentium, a. 1938—1939, in Hungaria 2400, extra Hungariam in 24 civitatibus 4 partium terrarum plus 700 subnotatores legebant IUVENTUTEM. Numerus lectorum extraneorum tum hic fuit: in Germania: 229 (ex quibus: 218 Austriaci), Batavia: 125, Polonia: 113, Helvetia: 67, Suecia: 44, Britannia: 29, U. S. A.: 22, Lituania: 14, Cecoslovacia: 12, Italia et Romania: 10—10, Dania: 7, Francogallia: 5, Sina: 3, Belgica, Turcia, Australia 2—2, Norvegia, Hispania, Iugoslavia, Barbados, Brasilia, Palaestina, Iaponia: 1—1.

His proximis annis haud paucas epistolas approbationis²² plenas accepimus, quarum nonnullae iam in IUVENTUTE publicatae sunt, e. c. litterae benedictionem *Suae Sanctitatis Pii XII* continentis (Ian. a. 1940) et litterae *Suae Eminentiae Iustiniani Serédi* (Oct. a. 1937), aliae a primoribus Hungariae civitatumque exterarum ad nos missae in libro de 25 annis ephemeridis nostrae scripto legentur. Ibidem inveniuntur aliquot recensiones de IUVENTUTE in ephemeridibus actisque diurnis extraneis editae (Neue Zürcher Zeitung, Mitteilungen der Arbeitsgemeinschaft der Altphilologen Österreichs, Neues Winterthurer Tagblatt, Gazzetta Ticinese, Weekblad voor Gymnasiaal en Middelbaar Onderwijs, Österreichs höhere Schule, Societas Latina, Bollettino Internazionale, Lygia, Mitteilungen aus dem höheren Schulwesen, The Classical Review, České Slovo, Palaestra Latina, Szabadkai Napló, etc.).

IUVENTUS quoque sentit tristes consequentias novi belli gentium. Fasciculi ex civitatibus occupatis saepe redeunt inscriptione ornati «Inconnu» (=ignotus), sed etiam saepius non redeunt neque ab lectore accipiuntur, quare iam multi administratorem oraverunt, ut fasciculos suos hic reponeret, quos bello finito omnes simul missos accipere possent. Quae cum ita sint, sub finem anni XXV-i grates agimus Omnipotenti pro tanta clementia. Faxit²³ Deus, ut hoc bello quam primum finito genus humanum tandem diuturna atque

iusta pace fruatur, atque concedat, ut IUVENTUS amicos latinitatis ubique gentium iterum congregando etiam patriae nostrae amicos quam plurimos comparare possit. Sed gratia debetur etiam vobis omnibus IUVENTUTIS fautoribus, sociis, lectoribus, amicis, qui benigne adiuvistis moderatores et administratores in ephemeride nostra condenda, sustentanda, augenda, propaganda. Quod faxitis,²⁴ Deum velim fortunare! Faveant Superi conatibus Vestris!

²² elismerés = Anerkennung = éloge ²³ det ²⁴ feceritis

Akrostichon.

*Vir bonitatis abhinc a me, vir care, vocaris
Auxilio veniens mihi belli tempore egeno;
Gignit enim bonitas sincerum praestita amorem:
Non nisi ferre queo permagnas carmine grates
Ex anima prompto: Vivas vigeatque «Iuventus!»
Rebus in ambiguis verus comparet amicus.*

R. N. (Vilna).

Sicut imperas, mi centurio fortissime!

Scriptis I. Pásztor. Latine: I. Guelmino Bpestinensis. (2)

Iam advesperascebat. Nebulae densiores diffundebantur, quando optio irruit in cubiculum et: — «Adest Zsengeri!» dixit. Sed tunc temporis Zsengeri quoque intravit cubiculum, obrutus²³ luto²³ et sanguine, porrigens epistolam.

— Hoc est responsum tribuni militum Korompay? interrogavi.

— Ita est, annuntio humillime, dixit ille.

Arripui epistolam et poculum vini apposui illi in mensa.

— Ebibe hoc, mi fili, dixi. Ebibe!

Petrus reverenter et timide tetigit poculum et nonnullis haustibus²⁴ ebibit.

— Nunc loquere, continuavi, nam maxime cupio audire, quomodo cursum²⁵ teneris.²⁵

²³ nyakig sárosan = bis zum Halse kotig = crotte jus qu'au cou ²⁴ korty = Schluck = gorgée ²⁵ az irányt megtartani = die Richtung behalten = maintenir la direction

Conspectus 25 annorum JUVENTUTIS.

Annus	Moderator	Administrator	Pretium annuum	Summapa- ginarum	Adnotationes praeter Hungaricas
I : 1910 (Ian.—Mai).	Stephanus Székely dr.	Bela Danczer	2 coronae	80	} Germa- nicae } Franco- gallicae
II : 1910/11			160		
III—V : 1911/12—1913/14			4 coronae	160	
VI : 1914/1915			112		
VII : 1915/1916			Iosephus	Officina	
VIII : 1916/1917	Irsy	Consortii	3 coronae	48	
IX : 1917/1918	Iosephus		80		
X : 1918/1919	Huszti dr.	Stephanei	4 coronae	48	
XI : 1926/1927	Elias Keme- nes dr.		60.000 coronae	80	
XII : 1927/1928	Iosephus Irsy	Eugenius Fray dr.	80	80	
XIII : 1928/1929			4.80 pengoe	80	
XIV—XVII : 1929/1930— 1932/1933			80		
XVIII : 1933/1934			72		
XIX : 1934/1935			112		
XX—XXIII : 1935/1936— 1938/1939	Iosephus Wagner dr.	Alexander Regényi	3 pengoe	160	} Germanicae Francogallicae.
XXIV : 1939/1940			120		
XXV : 1949/1941 :			?		

Petrus non multum scrutatus²⁶ est cogitationes et: «Ex sermone fit doctior homo», respondit.

— Quocum igitur verba fecisti, qui nemini, nisi corvo vel lupo occurrere potuisti?

— Illa species, dixit Petrus, humana erat, verisimile Russus quidem, qui me omni modo tollere²⁷ voluit. Primum glandem²⁸ in me e sclopeto²⁹ misit,²⁸ deinde manu corripuimus alter alterum, dum denique ille humi remansit immotus.

— Sed quomodo cursum tenuisti? iteravi. Habuisti tabulam geographicam?

— Habui, dixit. Ecce istam.

Et prompsit complicatam³⁰ e sinu, explicansque indice³¹ monstravit:

— Hanc aquam magnam tranavi et hoc arundinetum longum praeteriens, hic in ripa consita³² fruticibus³³ emersi ex aqua et hinc non procul in fossam altam incidi. Quam, ut reor, pyrobolus³⁴

concausus³⁴ effosserat, nidum diaboli, sed etiam inde contigit mihi emergere, et ecce nunc hic sum, nuntio humillime, centurio mi fortissime.


Suspiciens³⁵ spectavi loquentem.

— Haec igitur tabula geographica tibi viam rectam monstravit? interrogavi.

Annictans³⁵ chartae:

— Ita est, inquit, haec monstravit viam. Optime cognoscitur in ea mons et vallis, aequae ac silva vel aqua.


²⁶ kutat, keresgél = durchforschen = fouiller ²⁷ elintézni = vernichten = régler ²⁸ ráló = schießen = tirer ²⁹ puska = Gewehr = fusil ³⁰ összehajt = zusammenlegen = plié ³¹ mutatóujj = Zeigefinger = l'index ³² benőtt = besetzt = couvert ³³ bozót = Gebüsch = broussailles ³⁴ vulgo : granata ³⁵ pislog = blinzeln = clignoter




Josephus Wagner moderator.
(Luce pinxit Aem. Láng).



Andreas Zibolen praeses Societatis
Magistrorum Catholicorum.



Alexander Regényi
administrator.



Socii nostri:

Carolus Ács. Valentinus Fehér. Iosephus Guelmino. Iulius Kováts. Aladarus Kóvári. Oscarus Suszter.

Ad me traxi chartam, ut bene inspicerem. Et erat ista tabula geographica comitatus³⁶ Zala. Cachinnum³⁷ erupturum repressi et tabulam geographica reddidi ei. Non tabulā geographica ductus peregristi rem, volvebam mecum, sed caput tuum bonum et clarum de vastitate agrorum, in quo semper suo tempore illucescit, servavit te. Ecce, qui coelum consulit, non aberravit. Verbo autem ex his nihil dixi ei.

— Quid cupis? interrogavi demum. Visne vacationem³⁸ militiae³⁸ habere?

— Nolo, centurio mi fortissime, respondit timide. Nolo. Neminem habeo domi propinquum. Unicum tantum fratrem, parvum.

— Rem autem magni momenti perfecisti et nihil cupis.

— Si licet, dixit tunc, libentissime velim habere cultellum³⁹ plicatilem, cuius manubrium⁴⁰ desinit in caudam piscis, quem fratri meo mitam.

— Bene est, mi fili, dixi. Habebis cultellum. Nunc autem i et iube tibi cenam parari bonam, vinumque apponi bonum. Et cultellum quoque habebis, promitto tibi.

Ore splendenti aspexit, toto corpore erexit se, dextramque salutans maximo cum gaudio ad galeram apposuit, dicens:

— Sicut imperas, centurio mi fortissime!

Et excessit cubiculo laceratus et lutosus, laetus autem, laetior, quam si ad epulas⁴¹ nuptiales⁴¹ esset invitatus.

(Finis.)

³⁶ megye = Verwaltungsbezirk = département ³⁷ kacagás = Gelächter = éclats de rire ³⁸ szabadságolás = Urlaub = congé ³⁹ bicska = Taschenmesser = couteau ⁴⁰ nyél = Griff = manche ⁴¹ lakodalom = Hochzeitschmaus = repas de nocés

Michael Szabolcska: In Coffearia¹ Magna.¹


Latine reddidit Vinc. Bors Szegedinensis.

Cantilena Hungarica
A vespera flet musica
Longe terris in externis,
Hortis divis fabulosis,
Parisiis in caupona,
— In caupona.

O maeroris est quam plena,
En habet cor cantilena.
Tam ardentem canit flendo,
In quo sit oblectatio
In Kondoros equarii,
— Equarii.

Ac si omnis lux conclavis
Fiat ignis pastoralis . . .
Sed nec virgines decorae,
Nec domini, nec matronae
Auscultant hanc cantilenam,
— Cantilenam!

Colloquuntur, rident illi,
At non possunt reprehendi,
Nam Deus scit bonus tantum,
Quid in eo sit plorandum,
Quod equorum agmen quoddam
Tempus agat ad cauponam,
— Ad cauponam!

¹ Grand Café

Socii nostri:

Felicianus Gondán. Joannes Jeney. Elisabetha Nagy. Iosephus Tóth. Franciscus Turányi. Hugo Villa (Lugano).

Antiqua gymnasia Ordinis Praemonstratensis de Castro¹ Jászó¹ iterum recuperata.

Trianon omnia tria gymnasia: Rosnaviense, Cassoviense, Magnovaradinense Ordinis Praemonstratensis de Castro Jászó abstulit. Ut Ordo munere magisterii fungi posset, fundavit *Melchior Takács* praelatus institutum in oppido Gödöllő, quo nunc Praemonstratenses in gymnasio Hungarico, collegio Gallico et in convictu Sancti Nor-

Gymnasium Magnovaradinense tantum a. 1808, Cassoviense autem a. 1811 Praemonstratenses susceperunt.

Gymnasium Magnovaradinense nunc tantum fieri coeperat, ex prima classe constat, quoniam multum est reficiendum, corrigendum, augendum in schola, sed erat tempus ante primum bellum gentium, quo discipuli deficientibus subselliis⁸ sufficientibus in gradibus cathedrae sedebant. Collectiones physicae, historiae naturalis, bibliothecae huius gymnasii opulentae sunt, sed duobus ultimis decenniis negligebantur et ideo nunc citissimis renovationibus, supplementis indi-



Socii nostri :

Fr. Palata
(Trebic).

Rud. Nowowiejski
(Vilna).

M. Anna
Bencze.

Vincentius
Gombár.

Otto Schmied
(Vindobona).

berti docent et educant. Quidam professor universitatis celeberrimus anno praeterito visitavit Gödöllő et secundum opinionem eius ad exemplum collegiorum grandium nationum externarum imprimis hic successit religiosis Hungaricis collegium instituere.

Rosnavia, urbs parva, sed amabilissima, vicinitatem habet pulcherrimam, quae alumnis gymnasii excursionibus, explorationibus² et rebus³ gymnici³ admodum apta est. Etiam Alexandro Petőfi poetae, quando peragrabat regiones Superioris Hungariae, maxime placuit Rosnavia. Sicuti scripsit: Similis est urbi crucigero⁴ in pileum mendici iniecto. Castrum de Krasznahorka, quod proprium est familiae e comitibus Andrassy et quod plenum est visu dignis collectionibus diversi generis, prope urbem iacet. Huius Castris aspectus e collibus vicinis nemo, qui vidit, unquam obvisci poterit. Ante domum religiosam Praemonstratensium stat statua exigua Stephani Szabó, quondam parochi⁵ dioecesis⁶ Rosnaviensis, qui opera Homeri: Iliadem et Odysseam arte exquisita in hexametros Hungaricos transtulit et bibliothecam suam spectabilem gymnasio Rosnaviensi donavit. Ineunte regimine Bohemico tristissimo animo videre potui bibliothecam hanc totaliter perturbatam esse. Numerus discipulorum gymnasii anno praeterito (1939—40) 268 erat, et teste superiore direttore catholico, *Rudolpho Jászay*, professores Rosnavienses «laborem heroicum» perfecerunt.

Primum gymnasium Praemonstratensium Rosnaviae invenitur. Iam tempore Mariae Theresiae, anno 1775 hic sunt canonici⁷ regulares.⁷



Vincentius
Bors.



Geysa Bárcki.



Th. Philips
(Osnabrück).

gent. Firmiter speramus, scholam brevi aequo florentem futuram esse, atque antiquis temporibus erat.

Gymnasium Cassoviense in Ordine semper specialis aestimationis particeps erat. Urbs in historia Hungarica clarissima praedita est monumentis ecclesiasticis et profanis pulcherrimis, omnibus conditionibus bene et ad curam⁹ valetudi-

nis⁹ vivendi, regione rebus gymnici³ aptissima, populatione excultā. Cassovia reverā talis est urbs, ut iuventuti educandae et erudiendae convenientissima esse videatur. In hoc gymnasio adunabantur extra iuvenes Cassovienses filii familiarum nobilium multarum Superioris Hungariae, qui plerumque in convictu Susanne Balassa habitabant, huc veniebant catervatim pueri ex Hegyalja, ex Nyírség, imo ex Plano Magno Hungarico et hic erudiebantur discipuli Slovaci, inter quos permulti ingeniosi, diligentes, oboedientes et amore culturae Hungaricae sincere flagrant¹⁰ inveniebantur. Collisiones inter alumnos diversarum nationum nunquam evenerunt. Spiritus benedictus Sancti Stephani effecit, ut omnes pacifice et familiariter vivere unā possent in gymnasio. Numerus discipulorum anni praeteriti 603 erat.

¹Jászóvár cserkészzet = Pfadfindertum = scoutisme ²Sport ³krajcár = Kreuzer = sou ⁴plébános = Pfarrer = curé ⁵püspökség = Bistum = évêché ⁶szabályozott kanonokok = regelrechte Domherren = chanoines réguliers ⁷pad = Bank = banc ⁸hygienice ¹⁰lelkesező = begeistert = enthousiasmé

Laetissimae sorti futurae scholae Deo adiuvante intrepide confidimus, quoniam conditionibus materialibus et personalibus omnes causae prosperitatis



Patricius Stuhlmann socius et fautor Juventutis illustrissimus.

felicissime adsunt. Praelatus Ordinis, *Dr. Paulus Gerinczy*, nihil omittet, quod bono, emolumentoque iuventuti Hungaricae educandae et erudiendae esse potest. *Dr. Patricius Stuhlmann.*

Svatopluk Cech: Vici natalis desiderium.

Vici natalis campana! Per arva nemusque milia per passum vox tua sacra sonat. Istum clangorem iucundum rursus ut aure excipiam cupidâ, dent mihi caelicolae! In vico stat inops casa longâ curva senectâ: sub viridi musco straminibusque latet. Haec puerum me protexit fratrumque catervam, pullos gallinae mollis ut ala fovet. Vespere matre simul necnon genitore sedere in trito nobis limine suave fuit. Arto complexu felices haesimus, aere — luscinae ritu — dulce canente pio.

Vertit *Fr. Palata* (Trebic in Moravia).



Aedes et coenobium Ordinis Praemonstratensis Cassoviae.

Goethe: Minionis Cantio.

*Nostin' terram florecentem citris
Inque arbustis mâlis aurantiis,
De coelo flat puro Favonius
Cum lauro stat celsa myrtus tacens?
Nostin', dic, hanc?
Illuc! Illuc
Tecum volo ire, dilectissime.*

*Nostin' aedem? Tectum pilis cubat,
Nitent aulae, splendent cubilia,
Idola me tuentur ninguida:
Quid est factum tibi, miserrima?
Nostin', dic, hanc?
Illuc! Illuc
Tecum volo ire, mi tutorie.*

*Nostin' montes callemque in nubibus?
Mulus quaerit nimbosam semitam,
Sedet fetus draconis in specu,
Ruit rupes, supra fluctus ruunt:
Nostin', dic, hanc?
Illuc! Illuc
Porro via pergamus, mi pater!*

In libro crassitie notabili anno 1697 auctore Gaspere Schotto edito sub titulo «Mirabilia naturae et artis» permulta legi de dracone inclusive de eis Helvetiorum, quae noscere aventem invito, etiamsi, quae ibi narrantur, plerumque ut fabulosa relata denominanda sunt. Metrum Goetheanum quinarium jambicum cum caesuris bucolicis transtuli anno 1940 agente Bellona et salutis gratia amicis dedicavi exoptans ex intimo corde, ut omnes bene valeant.

Flescarolus (Reichenau).


Ad Paulum Teleki.

*Nobilitatis eras tu progenies, tamen ipse
Servus humillimus ac primus eras patriae.
A pueritia enim studia omnia, vita, labores,
Nunc mors te Hungariae martyrem esse dabant.
Imo lugemus te pectore, sancte virorum,
Posteritati qui sic imitandus eris.*

J. W.



Gymnasium Ordinis Praemonstratensis Rosnaviae.



Gymnasium et coenobium Ord. Praem. Magnovaradini.

Nuntii recentissimi.

Paulus e comitibus Teleki de vita decessit. Vir geographiae sine dubio omnium peritissimus, qui etiam extra Hungariam ab omnibus aestimabatur; qui feliciter suis «tabulis geographicis rubris» demonstravit pacem imperatam Trianonicam iniustam atque inhumanam esse; cui contigit¹ hanc patriam regionibus septentrionalibus et paene dimidiâ parte Transsilvaniae augere; qui cum professor tum etiam praefectus summus exploratoribus² nostris ratione vitae suae simplici et industriosâ exemplum imitandum semper praeiuit; cuius virtutes singulares copiose enarrare quamquam dignum, tamen longum est: tantis angustiis³ nimiâ conscientia animi adductis premebatur, ut mortem quam vitam mallet. Magister, heros et martyr patriae conservandae et augendae, vale, in aeternum vale! Corpus tuum requiescat in pace, at tu ipse vives indelebiter⁴ in cordibus nostris.



Paulus Teleki et successor eius, Ladislaus Bárdossy.

Dies⁵ Paschales⁵ iterum non mitigant crudelitatem belli, non afferunt pacem. Quae cum ita sint, Sanctus Pater, *Pius XII* die paschali Deum

orans, ut genus humanum ab interitu liberaret, sollemniter Urbi et Orbi benedictionem apostolicam impertit.

56 vexilla,⁶ quae a. 1849 Russi contra Hungaros pro libertate pugnantes Francisco Iosepho I-o auxilium ferentes cepérunt, nuper nobis reddita et sollemniter Budapestinum reportata sunt.



Vexilla a Russis recepta Budapestini circumportantur.

Nuntii bellici. Americani omnes naves Germanorum et Italorum in portibus Americanis stationem⁷ habentes⁷ deprehenderunt. Non multum igitur abest, quin etiam Americani bellum Germanis Italisque indicerent. — In Cyrenaica Germani et Itali Anglis victis Benghasim aliaque oppida recuperaverunt. Angli enim partem exercitus in Graeciam transvexerant. — Iugoslavi ministros, qui foedus amicitiae cum Germanis Italisque icerant, Anglis faventes in custodiam dederunt et triumviris regentibus amotis regem adolescentulum regnare iusserunt. Quare cum novum bellum ore-retur, Croati libertate recuperatâ a Servianis defecerunt, quorum exercitus a Germanis Italisque funduntur fuganturque, nos autem Hungari fratres nostros pace Trianonica abreptos defendendi causâ Hungariam meridionalem armis recepimus.

Societas Parthenon studia Graeca promovendi causa certamen promulgat. Laudatio studiorum Graecorum non brevior 300 et non longior 400 verbis scribenda est, quâ parentes et discipuli ad studia Graeca colenda incitentur. Auctor opusculi optimi praemio 200 pengonum donabitur, sed etiam secundus et tertius concertatorum praemium accipit. Opuscula ante Kal. Maias mittantur ad praesidium Societatis «Parthenon» (Budapest, V., Szabadság-tér 9.) munita sententiâ,⁸ item inscribendâ scidulae obsignatae,⁹ quae nomen et domicilium auctoris indicabit.

¹ sikerül = gelingen = réussir ² cserkész = Pfadfinder = boy-scout ³ kényszerhelyzet = Zwangslage = cas de force majeure ⁴ kitörölhetetlenül = unauslöschlich = indélébilement ⁵ húsvét = Ostern = Pâques ⁶ zászló = Fahne = drapeau ⁷ horgonyzó = vor Anker liegen = amarré ⁸ jelige = Kennwort = devise ⁹ lepecsételt = versiegelt = scellé


LECTORIBUS MINIMIS

Jocosa.

1. Puer quidam matrem interrogat: «Dic, mater: quid facit ventus, cum non flat?»

2. A.: Eheu, utinam¹ nunc 100 pengones haberem! — B.: Quid tunc faceres? — A.: Tum nollem a te nunc summam viginti pengonum tuam² sumere.²

3. Mauritio semper pater componit pensum domesticum. Aliquando, cum puer e schola domum rediret, interrogavit eum pater: «Dic, Mauriti, suspicetur³ ne dominus professor pensum tuum domesticum a me componi?» — «Non pater, — respondet ille, — sed dixit me in⁴ dies⁴ stolidior⁵ fieri.»



Via Victoriae in urbe Benghasi.

4. Mercator: Quid tibi vis emere, Domine? — Domina: Collare⁶ velim emere marito. — M.: Fortasse tale, quale ego porto? — D.: Nequaquam⁷ Purum velim.

5. Maurus patrem adit et dicit: «Ego franco-gallice discere velim.» — «Nequaquam franco-gallice disces,» respondet deliberate⁸ pater. M.: «Et cur non, pater?» P.: «Quia non opus est⁹ etiam⁹ Francogallos scire, quantus asinus tu sis.»

6. Zeno: Pater tandem scivi aliquid, quod ne¹⁰ professor quidem¹⁰ scivit. — Pater: Quidnam? — Zeno: Numerum domicilii nostri.

Franciscus Liska disc. Bajanus.

¹ bárcsak = wenn doch = si seulement ² kölcsön kér = borgen = emprunter ³ gyanakodik = argwöhnen = soupçonner ⁴ napról-napra = jeden Tag = de jour en jour ⁵ buta = dumm = bête ⁶ gallér = Kragen = fauxcol ⁷ semmiesetre sem = keinesfalls = nullement ⁸ határozottan = entschieden = décidément ⁹ szükséges hogy = es ist nötig = il est nécessaire ¹⁰ még... sem = nicht einmal = même

1. Georgius Feydeau, scriptor fabularum, aliquando in deversorio¹ provinciali coffeam² bibere voluit. Ancillam venire iussit et interrogavit:

«Dic mihi, puella, habeatisne imitationem coffeae (= cichorium)?» — «Habemus» — respondit ancilla. Feydeau: «Quot fasciculos?» — Ancilla: «Ad³ triginta.» — Feydeau: «Affer mihi omnes.» Ancilla abiit et velociter 32 fasciculos attulit. «Hic sunt omnes?» — interrogavit Feydeau. Ancilla: «Ita est, domine, omnes attuli.» Feydeau: «Relinque igitur omnes hoc loco et propera⁴ mihi veram coffeam parare!»

2. Diogenes cenam sibi coquere voluit. Quia opus⁵ erat⁵ ei ligno, statuam lineam Herculis verbis huiusmodi⁶ dissecuit: «Tu iam 12 labores magnos suscepisti, nunc sequitur tertius decimus: coque mihi cenam, et liberaberis.»

3. Domina Curie, physica, negotiis valde distenta⁷ erat. Aliquando cubicularia⁸ flebiliter querebatur: «Domina, domina, devoravi⁹ aciculam¹⁰ capitatam!¹⁰» — «Noli flere! — respondit domina. — En habes alteram aciculam capitatam» — et aliam dedit cubiculariae.

Tiburtius Farkas

disc. Ginsiensis (Kőszeg).

¹ szálloda = Gasthof = hôtel
² kávé = Kaffee = café ³ körülbelül = ungefähr = à peu près
⁴ siet = eilen = se dépêcher ⁵ szükségé volt = hatte nötig = avait besoin de ⁶ talibus ⁷ elfoglalva = beschäftigt = occupée ⁸ szobalány = Stubenmädchen = femme de chambre ⁹ lenyel = verschlucken = avaler ¹⁰ gombostű = Stecknadel = épingle

Liberatio vitae memorabilis.

Georgius Jacobs vir ille clarus, voluptatibus¹ satis¹ deditus¹ Californiensis ad multam² noctem² in convivio potavit, deinde ambulans ad litus lacus Merritt iit. Nox tepida erat, luna lucebat, cum Jacobs in litore stetit. Subito hominem conspexit in aqua. Nihil³ cunctans³ in aquam insiluit, ut hominem ignotum liberaret. Duo custodes⁴ publici⁴ advenientes viderunt dominum Jacobs ex aqua prorepentem. Alter in aqua evanuit.⁵ Nihilominus dominus Jacobs vitam periclitando⁶ nullam sibi laudem peperit. Immo poenam. Homo enim, quem in aqua viderat sua ipsius imago⁷ erat speculo⁷ repercussa.⁷ Helena Tótszöllősy disc. Kaposváriensis.

¹ mulatós = ausschweifend = aimant faire la fête
² késő éjjelig = spät in die Nacht hinein = tard dans la nuit ³ habozás nélkül = ohne zu zögern = sans hésitation ⁴ rendőr = Schutzmann = sergent de ville
⁵ etűnik = verschwinden = disparaître ⁶ kockáztatásával = durch Gefährdung = au risque ⁷ tükörkép = Spiegelbild = image réfléchie

1. Scotus¹ quidam iter² nuptiale² facit in Italia cum coniuge. Accidit, ut, cum Romae morarentur, maritus felicissimus quadram³ cacaoiticam³ emerit, cuius particulā⁴ coniugi datā, partem reliquam in sinum⁵ immergens: «Hanc autem partem, dixit, liberis nostris futuris reponimus.»

¹ skót = Schotte = Écossais ² nászút = Hochzeitsreise = voyage de noces ³ csokoládészelet = ein Stück Schokolade = un morceau de chocolat ⁴ darabka = Ecke = bout ⁵ zseb = Tasche = poche

2. Equitatio⁶ ludicra⁶ venit in Scotiam. Filius Scoti maxime cupidus equitandi: «Libentissime interero etiam ego equitationi, dixit. Maxime velim tandem aliquando circumagi⁷, pater carissime.» «Nulla est ratio,⁸ respondit pater, te circumagi pecuniā. Aspice terram, gratis circumagitur, unā tecum.»

3. Scotus automobile vult emere. Uxori quidam currus minor valde placet. Cui Scotus detrectans⁹

⁶ körhinta = Karussel = carrousel ⁷ egyet fordulni = sich drehen lassen = faire un tour ⁸ nincs értelme = es ist nicht vernünftig = cela n'a pas de sens ⁹ ócsárol = schimpfen = décrier



Liber, qui inscribitur «Commentarii de 25 annis IUVENTUTIS» mense Maio iam venditur (pretium : 1.50 pengoe) ab Al. Regényi administratore (Bpest, VII., Bacsay-u. 5.). Summarium libri vide: pag. 60, num. VII (Mart.).

currum: «Automobile biselle¹⁰ cui¹¹ prodest?¹² Nam ubi sedebit amicus, quem ut benzinam solvat,¹² invitaverimus?»

Ioannes Néveri disc. gymn. Acad. Bp.

¹⁰ kétüléses = mit 2 Sitzen = à deux places ¹¹ mire való? = wozu denn? = à quoi bon ¹² megfizet = bezahlen = payer

Auxilium Sanctorum. Agricola frumentum e campo demessum¹ plastro in horreum² vehit. Vehiculum supra culmen onustum viā iniquā huc illuc vacillat et nutat,³ tandem evertitur et in fossam cadit. «O miserum casum!» — clamat agricola et vehiculi⁴ sistendi⁴ consilium⁴ quaerit,⁴ nihil tamen mederi⁵ potest. Tum ad viam statuam s. Antonii fixam conspicit et accurrens nudato⁶ capite⁶: «O sancte Antoni! — inquit — da auxilium!» — Ad plaustrum revertitur et viribus suis rectum attollere studet. At iterum atque iterum nihil valet.⁷

Desperans oculos et manus ad coelum levat et: — «Omnes sancti! — clamat — subvenite!» — Tum se⁸ ad eversum plaustrum applicat⁸ et ita vires sua intendit, ut vehiculum subito impulsu⁹ erectum¹⁰ — in ultrioiorem partem evertatur. «At non statim simul universi!» — exclamat agricola.

Iosephus Orzech Nucifer (Wejherowo).

¹ lekaszált = abgemäht = fauché ² csűr = Scheune = grange ³ dülöngél = schwanken = tituber ⁴ quaerit, quomodo vehiculum levare possit ⁵ segíteni = abhelfen = aider ⁶ kalapot emelve = den Hut abnehmen = soulevant son chapeau ⁷ képes = imstande sein = être capable ⁸ nekidől = sich anstemmen = s'arcbouter ⁹ lökés = Stoss = coup ¹⁰ felegyenesedik és = aufgerichtet = redressé

De Actis¹ diurnis.¹

Nuper *Iosephus Révay*, vir antiquitatis peritissimus in ephemeride «Magyar Sajtó»² copiose disseruit de primo publico¹ rerum¹ commentario,¹ qui ante 2000 annorum, Kalendis Jan. anno a. Chr. n. 59 Julio Caesare consule prodiisse fertur. Tum iussit consul materiam senatus consultorum contionumque edendam esse in «actis diurnis» ad id scriptis. Acta diurna continebant nuntios rerum privatarum publicarumque, similes variis rebus communicationibusque³ diversis actorum diurnorum hodiernorum. Hoc nomen diurnorum usque ad hodiernum diem exstat in lingua italica «giornale» et in lingua francogallica «journal». Dolendum est, quod ad posteritatem fasciculus integer actorum diurnorum populo⁴ tam gratorum⁴ et 460 per annos viventium non superest, at exstat fragmentum ad nuntiandam laudem historiae. Caius Sextus Papirius Martialis erat princeps⁵ diurnariorum,⁵ qui etiam adiutores⁶ et liberos⁷ ab actis⁷ conducebat, ex quibus unus Chrestus nominabatur. Litteris Ciceronis cognotis apparuit etiam primum officium⁸ nuntiatorium⁸ tum ortum esse. Nos autem, filii posteritatis, commotā animā spectamus laudem Romanorum antiquorum, qui etiam de hoc genere culturae colendo optime meriti sunt.

Leopoldus Hantzmann disc. Schol. Piarum, Bp.

¹ napilap, ujság = Tageblatt = journal ² Prelum Hungaricum ³ közlemény = Mitteilung = article ⁴ nép-

szérű = volkstümlich = populaire ⁵ főszerkesztő = Hauptschriftleiter = rédacteur principal ⁶ ujságró = Journalist = journaliste ⁷ munkatárs = Mitarbeiter = collaborateur ⁸ hírszolgálati iroda = Nachrichtenagentur = service d'information

A. Petőfi: Amor meus.

(Metr. Alc.)

*Amor meus non luscinia est, Eos
Quam cum salutans excitat, ut sonet
Dulci eius oris cantu et ardens
Oscula det roseo diei.*

*Amor meus non umbriferum est nemus,
Quo stagna olor nans per placida annuit
Cervicibus splendori eburnis,
Quae latice irradiat, Dianae.*

*Amor meus non est hilaris domus,
Tranquilla pax, qua ut cingitur hortulo,
Qua com meat «fortunae» mater
Divaque filia gaudia affert.*

*Amorque eremo¹ par meus est fero —
Rivalitas quo saevit uti latro;
Cui sica desperatio amens,
Omnis et ictus adaucta nex est.*

Lat. reddidit *R. Nowowiejski* (Vilnae in Lituania).

¹ locus desertus

De origine proverbii: Nulla pecunia, nullus Helveticus habetur.

Bellis in Europa et in Italia praesertim exeunte saeculo XV gestis copiae ingentes adfuerunt Helvetiorum militum¹ conducticiorum:¹ exitialis noxiaque industria, pravus mos, qui ut Helvetici inter se dimicaverint, effecit; fama eorum crevit adeo, ut reges de auxilio Helvetico petendo certaverint. Quia stipendia magis conspicua erant, quam quaestus agros colendo factus, iucundis erroribus² libenter Helvetici impellebantur ad conditiones³ exteras accipiendas. Sed heu, ita propter hoc nimis sanguinis Helvetici acies fudit!

Accidit autem quondam, ut milites, stipendia⁴ sub signis gallicis merentes,⁴ arma ponerent domumque redirent, quia mercedem non acceperant. Quamobrem ignaviae et prodicionis accusati sunt. Illi autem dixerunt se sine pecunia vivere nequire. «Agite, ut ceteri milites, — respondebatur — hoc est: agros depopulamini,⁵ evertite!» Praecipue hanc impudentiam feraque facinora se commissuros esse negaverunt Helvetii, quae graviter vetarentur maiorum legibus. Ergo milites Helvetici domum redierunt et dixerunt se latrones esse nolle.

Ex quo proverbium a duce quodam gallico novatum est: «Nulla pecunia, nullus Helveticus habetur.»

Rolandus Iorni disc. Lucanensis.

¹ zsoldos = Söldner = mercenaire ² peregrinationibus ³ ajánlat = Offert = offre ⁴ katonáskodni = Kriegsdienst tun = faire le service militaire ⁵ kifoszt = ausplündern = piller

LECTORIBUS MAIORIBUS

Hungaria rediviva.

Hungara tu gaude, perquam laetare propago,
 Neve sub obscuro gaudia conde sinu.
 Talia venerunt mirā tibi sorte, fugaci
 Tempore quae raro saecula ferre solent.
⁵ Noster enim populus, caesum quem barbarus hostis
 Crediderat, facili sustulit arte caput.
 Vi propriā facit hoc partim sociisque ministris
 Foederaque aeterno pacta fovente Deo.
 Hungara quondam gens invicta ferocibus armis
¹⁰ Incidit in nexas hoste serente plagas.
 Namque homines nummis corrupti semina spargunt
 Discidit, cives ut nova iura velint.
 Subdola verba cito per credula corda vagantur,
 Turbaque deposcit sistere bella levis.¹
¹⁵ Non acies nostras confregit barbara vires:
 Sed ratio discors excutit arma manu.
 Hungaricus miles telorum exercitus usu
 Aequā non ulli cedere fronte solet.
 Illa dies nocuit, qua subdola fraude sagatos²
²⁰ Verba coegerunt ponere tela viros.
 Exitialis amor dominandi, foeda simulatas:
 O quotiens magni causa doloris eras!
 Sparsa susurronum producunt semina fruges:
 Bellica festinat turba redire domum.
²⁵ Undique propatulis invadunt finibus hostes,
 Introitum nullo vindice praebet iter.
 Caraque telluris praedantes arva pererrant,
 Turba velut rabido proruit ore canum,
 Et sine sanguine patriam certamine gratis
³⁰ Insidunt pretio prodigionis humum.
 Ac velut in pecudem vultur per vulnera fessam
 Praecipitans unco corripit ungue latus;
 Seu lupus agnellos in caespite raptor adortus
 Lanea fulmineo tergora dente petit;
³⁵ Sic inopem tramis innectit aranea muscam,
 Sic catuli praedae saucia cedit avis.
 Non aliter Valachos tum Transsilvania vidit
 Duros per valles et iuga ferre pedes;
 Adversāque leves³ veniunt ex parte Bohemi,
⁴⁰ Forte, sed infidā proditor arte genus;
 Qua Notius⁴ tepidas respirat anhelitus auras,
 Belligeram pubem Rascica⁵ mittit humus.
 Immodicae partes manibus rapiuntur avaris
 Corpore de solido, patria cara, tuo.
⁴⁵ Infelix populus! non tu fera bella movebas,
 Pacis eras cultor iure valente pius;
 Et tamen immeritus grandissima damna tulisti:
 Vix prope nuda tibi vita relicta fuit.
 Occasum patriae flebant tristesque ruinas
⁵⁰ Cives, indignas⁶ imbre rigante genas.
 Altera pars nostris sine compare iuribus uti
 Gaudet et indocte sceptrum a resumpta gerit.
 Heu! ubi tum latuit gentis celeberrima virtus?
 Non fuit in duro russeus ore pudor?
⁵⁵ Cum moles odii pulsarent limina nostra,
 Languiebant cunctis brachia lassa viris?
 Non omnes latuit patriae trepidantis imago,
 Tetrica multorum pinxerat ora rubor.
 Una cohors — Siculi — bello pugnisque superstes
⁶⁰ Destinatus invictas addere in arma manus.
 Parva satis manus est ingentes hostis ad undas,
 Quas animus patriae supplet amore ferox.
 Iamque cohors fauces clivosque obsederat armis
 Devexos: capto stat gravis illa loco.
⁶⁵ Spes bona dat vires: vires rediere lacertis
 Visique lacertorum vulnera multa dedit.

Tum fragor armorum tonitru loca cuncta recessit
 Aeriasque secant flammea tela vias.
 Complures profugi patriaque ab sede revulsi
⁷⁰ Accedunt: bellum vi meliore gerunt.
 Sed frustra, Siculi, patrios defenditis agros,
 Frustra fit vestro sanguine pinguis humus.
 Publicitus miles sumptis revocatur ab armis,
 Hostibus effrenis pendere iussus iter.
⁷⁵ Me memorare pudet, bellum sine laude coactos
 Mittere et armatas sponte dedisse manus.
 Tum per nos stabat nostrae fortuna salutis:
 Tempora damnosus perdidit apta sopor.
 Iamque hostes nostras omni dicione tenebant
⁸⁰ Terras atque opibus convalescere novis.
 Interea Genavam victorum coetus in urbem
 Convenit et nobis tristitia damna parat.
 Hic odio ducti divina humanaque miscent
 Iuraque devictis imperiosa canunt.
⁸⁵ Gentibus e parvis nuper terrisque minutis
 Impius effecit regna perampla furor.
 Ilicet immodico fastu nova regna tumescunt,
 Turbaque praedonum tollit inane caput.
 Talibus Hungara gens rebus quasi fulmine tacta
⁹⁰ Torpuit et surdo muta dolore fuit.
 Ac veluti furvo cum saevit ab aethere nimbus,
 Et rauco boreae sibilat aura sono,
 Fulguraque assiduā flagrantia luce coruscant
 Et candore patens splendet ubique polus,
⁹⁵ Horrendoque cadens sonitu celer ignis ab alto
 Terribili montis pondere summa ferit:
 Vasta simul caelo terrisque silentia laeis
 Incumbunt, tempus ad breve cuncta tacent.
 Taliter Hungara gens acri stupefacta dolore
¹⁰⁰ Stabat et iniustum muta ferebat onus.
 Uique animus rediit, crudeli sorte ligati
 Coepimus angusto vivere posse modo.
 Viginti annorum clades tot et aspera passi
 Tollimus e media rudera multa via.
¹⁰⁵ O quotiens duro lassati membra labore
 Irrita quaeque sumus cuncta fuisse rati!
 Plurima censores irrident acta bonorum
 Et faustum obliqui saepe morantur opus,
 Dum nova raptores odioque metuque calentes
¹¹⁰ Termina⁷ iure parant firma locare suo.
 Multo terra minor, fecundis frugibus ubera,
 Consuerat largum suppeditare cibum;
 At sale, flammiferis lignis, carbone, metallis
 Hungara, quae mansit, semper egebat humus.
¹¹⁵ Praecipitant anni curritque volubilis aetas:
 Quam tarde nobis praeteriere dies!
 Nulla diu suberat spes nec via certa salutis,
 Acriter in speculis hoste cavente suis.
 Sol tandem enituit disiectā nube serenus
¹²⁰ Lassaque vitalis transiit ossa vigor.
 Vir procul inde fuit Romano a sanguine cretus,
 Qui validam nobis obtulit unus opem.
 Dignus erit semper nostro Benedictus⁸ amore:
 Nomen inextinctum nos retinere decet.
¹²⁵ Tempore turbato pro nobis verba locutus,
 Acta Parisiaca pacis iniqua sonat.
 Multa diu frustra surdis⁹ cantavit asellis:⁹
 Aptius in liquida signa notaret aqua.
 Tu citius flumen cernes properare supinum,¹⁰
¹³⁰ Ocius in fontem refluit unda suum;
 Impastoque lupo tenerum prius eripis agnum,
 Quam populum videas mittere rapta munus.
 Exstitit alter homo, Germanae stirpis alumnus,
 Qui grave fulmineo contudit ense iugum.

¹ mutabilis ² milites ³ állhatatlan = wankelmütig =
 inconstant ⁴ meridiahus ⁵ Serviana ⁶ innocentes
⁷ termen = terminus ⁸ Benito (Mussolini) ⁹ auribus
 audire nolentibus ¹⁰ contra aquam (adverso flumine)

- 135 *His ducibus fracti cessere volentibus hostes;*
Nos ita maiores rursus habemus opes.
Hungare, tu gaude, Siculi, gaudete receptis.
Saltibus et prisco figite more pedem.
Hae partes fuerant semper pugnacula regni.
 140 *Quot mala sunt Siculis saepe minata bonis!*
Nunc quoque trans montes candentia lumina
daemon

- Erigit, a primo gens inimica Deo.*
Inde lues nobis horrenda minaciter instat:
Servemus¹¹ vigiles in statione malum.
 145 *Ne tamen immodice nostro fidamus inani*
Robore, sed magno tela iuvante Deo.
Deinde sit in nobis honor alto iunctus amore
Virginis, et teneat pectora casta fides.
Impensā pietate Deum numenque rogemus,
 150 *Clarior ut toto fulgeat orbe dies.*

Val. Fehér O. S. B. (Pápa.)

¹¹ observemus

Valeria Czikle Gy.: Ad Nicolaum Horthy.

Latine reddidit Vinc. Bors. (Szeged.)

Nomen tuum inscriptum est Hungarorum cordibus,
Tu eras in tempestate temporum fortissimus;
Horthy, noster gubernator, heros semper tu vivis,
Tu veheris equo albo liberatis in glebis.
Tu es nostra precatio, superbia, firmitas,
Et a Deo missus, ut dux Hungarorum exsistas.

Librorum recensio.

Librer Vagabundi I. Solitudo. 50 imagines xylographi **Belae Gy. Szabó** Claudiopoli. 1939. Barangolókönyv. I. Egyedül. 50 fametszet. Kolozsvár, 1939. Solivagi hominis, rerum naturae amore deperientis, artificis oculis curiosis et acutis eam cernentis in eiusque contemplationem totum se immergentis, deserta, mare, silvas rura peragrantis visiones et somnia poësis instar in imagines transfigurata summaque et subtili arte in lignum incisa hoc libro spectantibus offeruntur. Harum imaginum contemplationi dediti poëtae vel dicam sculptoris figuris mirabilibus, magnificis, bellisimisque capiuntur, deleniuntur, devinciuntur; in quibus cum vigor et vis, tum mira quaedam delicata mollities inest, quibus non ipse solum delectatus sum, sed alios quoque maxima oblectatione ac voluptate scio affectum iri. Postremo apponimus suavissimos, qui libro sunt praefixi poëtae sculptoris versus latini: «In desertis, mari ac silvis vagabar. Et nunquam solitudo erat mihi dolori. Ruraque mihi festos reddunt dies profestos». Summarium libri: Introductio. Campus. Mare. Silva. Finis.

Dr. Felix Günther, Lebendiges Latein. Leipzig, Emil Rohmkopf, 1937. Pag. 206. Pretium M. 2.40. Constat apud omnes cultiores Europae nationes magnum proverbiorum, locutionum Latinarum numerum in usu esse multaque vocabula in earum linguam inolevisse atque saepe fieri, ut in orationibus et aliis scriptis proverbia, locutionesque Latinae inveniantur, quae nisi Latine doctis ignota sint. Liber hic Felicis Güntheri eorum vult commoditati inservire, qui licet litteris eruditi sint, linguae Latinae tamen imperiti verba et sententias Latinas passim allatas non intelligunt. In partes tres dividitur, in quarum prima proverbia, locutiones ordine litterarum disposita afferuntur, in Germanicum convertuntur et explicantur, altera, ut Latinae sententiae penitus intelligantur, brevis et succincta linguae Latinae grammatica continetur, tertia denique vocabula in lingua Germanica usitatissima explicantur. In proverbiorum et locutionum Latinarum intelligentiam

se insinuaturi si hoc libro utentur, elementis linguae Latinae imbuti certe laboris fructu non privabuntur.

Ugo Enrico Paoli, Primus liber. Sesta editio, Firenze, 1940. Pag. 351. Pretium ital. lib. 14. Saepenumero questus sum nec desinam hoc usquequaque usurpare: libros nostros lectionum Latinarum esse taedii plenos, ex quibus maxima lassitudo et gravissimus veteris discipulis, immo vero magistro obrepit. Sed iam sit satis nihil profuturae querimoniae! Nostri lectionum Latinarum libris est is, quem supra indicavi, dissimillimus. Incipit a fabellis brevissimis perceptuque facillimis gradatimque ascendit ad longiores narrationes. Post fabellas ridicularia narrantur, deinde iocosa de Aesopo narratio, quam insequuntur aenigmata puerilia et carmina ludibunda, sententiae breves per naturam, sententiae secundum argumenta dispositae, sententiae ex Vetere Testamento desumptae et veteres Indorum sententiae. Has sententias excipiunt iterum narrationes longiores, facete dicta, praeclarae veterum voces, notabilia quaedam. Deinceps denuo fabulae partim Aesopeae, partim ipsius Phaedri narrantur, quas aenigmata versibus vincta et narrationes prolixiores sequuntur. Liber denique octo colloquiis de rebus tractatis finitur. Omnes fere lectiones non confictae vel ut auctoris ipsissimis verbis utar: «non un compiacente latino scolastico ad usum puerorum» scriptae sunt, sed et ipsis scriptoribus Latinis depromptae, quarum origines semper indicantur. Lectiones autem sunt expeditae, facile currentes. Programmaticis vero explicationibus loci paulo difficiliores Italice redduntur. Totus liber festiva quadam hilaritate tinctus est, qua discipulorum animi mirum quantum devinciuntur ac deleniuntur. Iam libri incunditas imaginibus germano artificio expressis, ex quibus ludibunda quaedam irrisio nobis arridet, certe multiplicatur.

Ferdinando Bernini, Latino Vivente. Avviamento allo scrivere Latino. Seconda edizione aumentata. Società Edizione Internazionale, 1940. Pag. 402. Pretium ital. lib. 24. Bernini sibi, ut ipse in praefatione ait, proposuit, ut novam viam et rationem, nec eam eruditam, cotidiano



Ora maritima (xylographia Belae Gy. Szabó).

tamen usui destinatae Latinae scriptionem amplectantibus temptaret. Est quidem hic liber potissimum in usum auditorum academicorum et docendi munus capessentium scriptus, quibus Latine scribendi necessitas iniungatur. Atque omnium primum auctor libri comparatione inter Italicam et Latinam linguam adhibita luculentis demonstrat exemplis, quam arte Latinae sententiae inter se cohaereant (consecutio temporum, participia, infinitivi), post coniunctionum, in quarum usu tam saepe peccatur, significationes Italicas affert, deinde docet, quo pacto notiones modernae, imprimis, quae nisi cogitatione non percipiuntur, Latine reddantur, sententiae inter se collocentur. Postea tractatur de formis rhetoricis et quaedam prolusiones ad versificationem Latinam prosodiam

et rem metricam eduntur. Sed non solum scribendi, sep aliquot utilia loquendi etiam praecepta grammatica in usu scholastico sollemnia subministrantur. Capite quinto themata et argumenta aliquot Latine componenda continentur. Capite VII. bibliographia comprehenditur locupletissima, in qua lexica potiora, libri colloquiorum Latinorum et artem Latine scribendi continentes, praeterea nostrae aetatis poetae Latini enumerantur. Capite VIII. specimina litterarum Latinarum cum antiquae tum mediae et recentioris aetatis repraesentantur. Caput IX. indicem plenissimum complectitur. Hunc librum, cum sit utilissimus ac dilucide scriptus plenusque subtilibus legum grammaticarum observationibus, cum Latine discantibus, tum praecipue scribentibus quam vehementissime commendare nequaquam dubito. *Car. Acs Bp.*

De Octorini Pianigiani etymologico Italicae linguae lexico iterum edito. Cum Graeci tum Romani quanam esset verborum vis, nullo paene dixerim verborum enodationis adminiculo operam assidue atque pluries dederunt, et quamquam viri singulari ingenio praestiti, exempli gratia M. Terentius Varro Reatinus atque Caius Iulius

Caesar, de verbis tractaverunt, attamen interdum verborum studiosos res fellit. Multi igitur elapsi sunt anni, antequam Fridericus Diezus linguarum origines verborumque vim via et ratione inquireret eiusque gratia, quae essent et consonantium et vocalium litterarum mutationes, didicimus.

Quod autem ad Italicae linguam attinet, per pauca quidem edita sunt lexica etymologica et nuper O. Pianigianus lexicon, duas in partes divisum, per Sonzogno librarium iterum in volgus edidit, cui haec est inscriptio *Vocabolario etimologico della lingua italiana.*

Opus duobus praeditum est dotibus; nam non modo Pianigianus verborum explicat vim, sed etiam eadem inter se comparat. Ita fit, ut Pianigianicum opus pervolutantibus maximam Italorum verborum partem e latina lingua, pauca ex graeca, ex teutonica atque arabicis linguis profecta esse plane apparebit. Perutile igitur hoc opus est, non solum quoad ad Italicae linguae doctrinam spectat, sed etiam quod illud constat homines aptius quae sentiant, dum verborum adhibendorum vim cognoverint, exprimere.

Prof. Iohannes Baptista Bellissima
Voluntarius Doctor Universitatis Studiorum (Pisa).

AENIGMATA

Solutiones aenigmatum numeri VI.

1. Iran, rege, ager, Nero. — 2. S, os, dos, odos, modos. — 3. Beata, esse, ast, te, a. — 4. Turpe est aliud loqui, aliud sentire. — 5. Tardus, itaque, potare, vectat, semita. — 6. Bismut. — 7. Memento homo, quia pulvis es et in pulverem reverteris. — 8. Iunius, ultor, vile, Etruria, Nicolaus, Turcae, Ulixes, Sicilia: Iuventus. — 9. *Ad libram*: 1. Abdageses. 7. Ede. 8. Euanner (Euander). 9. Uri. 10. Lampsacum. 13. Ibo. 14. Avi. 15. Ne. 16. Usi. 19. An. 20. Urat. 23. Monumenta. *Ad perpendicularum*: 1. Abellinum. 2. Dearmo. 3.

Genusus. 4. (H)edera. 5. Serica. 6. Salamina. 11. Abero. 12. Uva. 17. (M)utu(s). 18. Ire. 21. An. 22. In. — 10. Ne quid nimis!

Aenigmata numeri VI (Febr.) recte dissolverunt: V. Árvay, E. Böhm, H. Eckhardt, Cl. Göbler, Gr. Kerényi, M. Kertész, E. Madocsay, G. Margittay, **Iuditha Németh**, M. Pieke, I. Pukánszky, I. Vaszkó, E. Soltész (*Szilágyianum*), **Catharina Bauer**, E. Bányai, M. Blándl, M. Dischka, M. Göntér, M. Pach, A. Salamon, E. Stohl, M. Szalay, E. Szál, H. Trombitás, B. Varga (*Angelanum*), **Fratres Székely** (*gymn. Archiep.*) C. Wohl, E. Klein, **Maria Tóth** (*Veresianum*), St. Grosz (*Scholae Piae*), I. Mosonyi (*Giselanum*), G. Wollitzer (*Berzsenyanum*), E. Gárdosi, G. Gonda, M. Roger, R. Wimmer, L. Arany, B. Balogh, **Robertus Deutsch**, L. Ferenczy, St. Haás, St. Lukács, I. Pap, St. Puchmann, T. Stiller, G. Várnai, E. Weisz, E. Szecsei, Th. Falk, G. Kelemen, Z. Kocsy, St. Leidenfrost, V. Adler, Z. Olló, (*Bólyayanum*), P. Konrád (*gymn. IPEA*), H. Noé (*Vörösmartyanum*), Z. Bíró (*gymn. conf. Helv.*) V. Várady (*Margaretheum*) **Martinus Légrády** (*Ladislainum*) **Budapestinenses**. **Stephanus Bősze Ginsiensis**. E. Kovács *Keszthelyensis*. **Tiburtius Námer** I. Szendrey *Makónenses*. H. Faragó, Br. Légrády, **Fiderica Merényi** E. Tóth, I. Kner, *Mezőturienses*. **Fridericus Kreiner** *Magna-Canissanus*. G. Klinger, L. Lukács, O. Pócza, **Ioannes Smolczer**, Aug. Tóth, V. Flekács *Nyergesújfalvini*. L. Balogh, A. Berecz, E. Boross, **Iosephus Gaál**, Z. Gaál, I. Gerebenics, A. Gögös, Z. Horváth, I. Polgár, O. Póczik, P. Szabó, N. Taáp (*Maurinum*) *Papani*. G. Illés, I. Schultheisz *Szekszárdienses*. S. Rosenfeld *Ungváriensis*. Crassae litterae indicant lectores, quibus praemium sorte obvenit.

1. Quadratum magicum.

	1.	2.	3.	4.	
1.					A A A A Nocte lucet.
2.					L N N O Coniunx mariti est.
3.					O R R T Signum est.
4.					T U U X Agricola hoc facit.

Andreas Lajta disc. Bólyayani Bp.

2. Ad saltum equulei.

Ni	di	ma	a	nec
bi	ni	ta	nis.	sti
men	hil	tu	tum	quam
mi	le	in	ae	ti
tam	in	mul	est	cer

Si hoc parvum aenigma Recte dissolveritis,

Dictum Titi Livii Certo accipietis.

Otto Waldner disc. Gyöngyösiensis.

3. Pyramis.

1	Consonans est.
2 1	Pronomen determinativum est.
3 2 1	Forma verbi «velle».
4 3 2 1	Animal volucre est.
5 4 3 2 1	Vehiculum aquatile est.
6 5 4 3 2 1	Impigris, industriosis.
7 6 5 4 3 2 1	Pigris, timidis.

Iosephus Gaál disc. Maurini (Pápa).

4. Supplendum.

agis	dium
lephantus	agnus
are	vidius
rato	emus
emo	mago.
imeo	

Expletis his vocabulis
Dictum pulchrum tu accipis.

Lad. Balogh disc. Széchenyiani Bp.

5. Ex numeris.

20,	2, 12, 24,	1, 5, 6	Vir in senatum assumptus est.
3,	7, 29, 31, 30, 26, 34		Qui Capitolium defenderat.
24, 14, 15, 25, 22, 27			Sonitus apium, maris, venti, etc.
23, 33,	8, 16, 19		Metuo, vereor,
4,	9, 10, 11		Crede, cogita!
18, 28, 32			Nihil sic dicitur brevius.
13, 5, 17			Pronomen indefinitum.

Si numeros cum litteris recte commutaveris, accipies dictum hexametricum Lotharii I-i imperatoris.

Henricus Schäfer disc. Bonyhádiensis.

6. Logogriphus.

Hannibal vita L pes.
a

Ioannes Kerling S. J. Quinqueecclesiensis.

7. Crucigramma.

1		2	3	4		
		5	6			7
8						
9		10				11
		12		14		
15			16			

Ad libram: 1. Mater Apollinis. 6. Adverbium interrogativum. 8. Numerus cardinalis. 9. Urbs Hispaniae antiquae. 12. Pronomen determinativum (fem.). 12. Pater Pirithoi. 14. Pars vultus. 15. = 14.

Ad perpendicularum: 1. Urbs Etruriae. 2. Adverbium temporale. 3. Obtego, velo. 4. Coniunctio conditionalis. 5. Forma verbi «volo». 7. Diligunt. 10. Citra. 11. Vado, pergo. 13. Pronomen determinativum.

Guilelmus Volonterio
disc. Lucanensis (Helvetia).

8. Logogriphus.

Stat, ubi tu stas; it, quo tu is; facit, quod tu facis. Quid est hoc?

9. Logogriphus.

Non carnem, neque ossa habeo, sed habeo quinque digitos. Reperite nomen meum!


Iohanna Himmelsbach
disc. Lucanensis (Helvetia).

10. Logogriphus.

Tegmen do capiti, pilum gladiumque retundens: exornat culmen crista superba meum. Visceribus mediis infertur lambda? Profundum — e multis constans navibus — aequor aro.

Fr. Palata (Trebic in Moravia).

Nota. Lectoribus minimis: 1-4, mediis 5-6, 8-9, maioribus 7, 10. — Quisquis aenigmatum tot solvat, quantum potest. Etiam unum solum aenigma solventibus praemium petere licet. Discipuli eiusdem scholae solutiones a professore suo collectas in communi involucro epistulae ad moderatorem *J. Wagner* (Budapest, XI., *Lágymányosítca* 20) mittant.



Alpenwacht Salzburg, Lad. Dinda. Vos et omnes lectores, qui exempla ephemeridis urgent, vel pecunias mittunt, rogamus, ut administratorem adeant (*Alex. Regényi*, Budapest, VII., *Barcsay-utca* 5.), si retardationem vitare volunt. Contra solutiones aenigmatum et omnia, quae ad IUVENTEM ipsam spectant, moderatori mittantur.

Corrigenda numeri VII. (Mart.): pag. 58: pro «tunc index» lege: tunc iudex. — pag. 60: pro: «Welter» lege: Wetter. — pro: «Auctores» lege: Actores. — pag. 61: pro: «properabit» lege: properavit. — pag. 63: pro: «RRTN» lege: RRTV. — pag. 64: pro: «7. Idem» lege: 8. Idem.

Moderator et administrator omnibus, a quibus die Iosephi et Alexandri gratulationibus honorati sunt, pro amabilitate gratias agunt maximas. — Index opusculorum ante Idus Apriles acceptorum: I. 23 aenigmata miserunt *L. Almássy, I. Schultheisz, G. Gáti, Z. Biró, L. Ujlaki, E. Szál. Fr. Váradi.* Trium aenigmatum duo tantum solutiones habent sine ipso aenigmate, tertium autem sine solutione accepi. Mitte igitur, quae omisisti. *Tib. Farkas.* Alterum aenigma malum est. *Ios. Varga.* Omnia aenigmata male incipiuntur. Nescire videris, qualis sit saltus equulei. *P. Juhász.* Ubi sunt solutiones aenigmatum tuorum? II. Iocorum miserunt ternos *Tib. Farkas* et *I. Velle* (medius nuper editus est), binos *Lad. Almássy* et *Em. Sugár* (primum non intelligo), sex *Fr. Liska*, singulos *M. Dischka* et *Ag. Salamon.* III. *Carmina* composuerunt: *Iul. Agoston, V. Bors* (melodia Törökiana non satis pulchra est), *Ios. Lábady* (mitte versionem, ut intelligere possim strophas obscuras). IV. Aliis opusculis *Patr. Stuhlmann, Car. Ács, Iul. Kovács, G. Bellissima* gratias apud moderatorem inierunt maximam. — *Lad. Révész.* Florilegium tuum componendo exegisti tibi monumentum aere perennius. Recensebitur. — *Fr. Turányi.* Scisne, quae Palaestra Latina de Grammatica tua scripserit?

Budapestini, ex officina consortii Stephanei. Negotiorum curator: *Fr. Kohl jun.*